

loco, et extra eam circum ferentiam posito ad D confluat. Non enim a B aut a C, aut ab E illuc fluet, quia cum sint in eadem ferentia, et inter se a centro æquales, nullum eorum, locum suum relinquens eo confluent, si locus D, non sit aqua vacuus. Non enim aqua cum sit corpus, aquam penetrat. At Oceanus aqua sua iam plenus est, et planus. Neque aqua, ea quæ lietus Africum, aut quæ littora Brasiliæ lambunt, ad medium quod est aqua plenum confluunt. Si vacuum esset, eo confluenterent. Non confluunt aut, non quia sint rotunda, sed quia in eadem sunt planitie in æquore eodem. Idem est in reliquo Oceano toto; in Mediterraneis omnibus maribus. Ergo demonstratio, quæ necessitate Geometrica concludere illis est visa, et per se ad mare collata vana est, et experimentis confutata. Si dicant sensum falli, neque eum posse rotunditatem illam percipere quod et dicunt: demonstrationem vero, veram esse et Geometricam. Dicemus nos, Geometrica esto, physica cerre non est, nec vera. Nam si vera esset, in omnibus aquis vera esset, lacubus, stagnis, paludibus, fossis, puteis, pelvibus. At in his quæ sub oculis habemus, eam rotunditatem, nec cernimus, nec expriendiæ respondet. Nam si pelvis utque ad summa labra impleatur aqua, dein rore si ligno quo frumenti, leguminumque mollia eminentia abradimus, rotunditatem aquæ in medio abradere tentabimus, ridiculi evademos. Esto ergo Geometrica hæc demonstratio, certe non est physica. Quia physice considerata B, et C, non sunt altiora D sed in eodem cum eo sunt plano. Unde aqua in D ab eis non confluat. Confluet tamen si sit aqua in F aut in G. Quia lineæ ab his tractæ ad D ostendunt, ea loca esse altiora, D vero esse declivius. Ex priore hac quæstione, de aquæ rotunditate in superficie, quasi eam absolvisset, aliam Clavius aggreditur. Utrum ex terra, et aqua unus fiat globus. Sed vos priorem expediamus prius, et dicamus.

Omnis aqua in superficie, necessario est, vel plana tantum, vel rotunda tantum, vel plana, et rotunda, vel nec plana, nec rotunda. Necessaria est hæc divisio. Nec planam habere, nec rotundam, non videtur posse dici. Eminentias enim nullas habet, præterquam in undis, ventorum vi commotis. At nobis de violenta superficie non est sermo, sed de naturali, et nulla vi agitata. Naturalis ergo aquæ superficies, nec plana, nec rotunda, dici non potest. Sed neque et plana, et rotunda potest dici, una eademque. Contrarietatem enim eodem tempore non admittet. Neque unam esse planam, aliam esse rotundam, est dicendum. Est enim aqua universa homogenea, similariumque partium omnium, si in naturali suo sit statu. At homogenea non esset, si partium alia, plana esset, alia rotunda. Ex plena ergo divisione, necesse est eam totam in superficie, vel planam esse, vel rotundam. Alterutro horum demonstrato, alterum excludetur. Ostendamus non esse rotundam, rationibus, et experimentis usi clarissimus.

Apud Oppidum Comaclum, stagnum sane permagnum est. Per id stagnum, anno ab hinc tertio, e Comaclo, Cymbula solvimus ut Ostellatum peteremus. Fundus itinere fere toto, clarissima aqua, minus duobus pedibus altus, est conspicuus. Initio discessus, urbs tota conspicua. Itinere procedente, ima domorum primo, sensim e visu tolli coepta, mox altiora. Tandem et humilia culmina nondum sex M. Pass. itineris confectis. Turris facta, alta pedes LXXII a medio sui supereminebat visilis. Ea quoque ad XM Pass. e visu est sublata. Hic Geographos rogamus, an tam brevi spacio, quo totus fundus duobus pedibus, minusque pressus, et conspicuus cum esset, an mare illud, potuerit in medio, ad V scilicet Pass. M. pedes LXXII in rotunditatem attolli? Ita ut minus duos pedes, et pedes LXXII aqua super fundum, attolleretur? Aut Mons sub aqua pedes LXXIII est. At e tanta terræ subiectæ et aquæ altitudine, littora id stagnum circundantia, multa visa essent depressiora. At visuntur stagno altiora. Non ergo in eo medio, aut terræ, aut aquæ ullus est mons, nulla elevatio, nulla rotunditas. Hoc primula experimentum. Alterum in mari alto. Anno MDLXII nos in Cyprum navigaturi, e navi magna, adhuc ad Venetum litus, anchoris alligata, sub Solis ortum, supra maris superficiem, montem in Liburnia Aussero imminentem, clarissime conspeximus nigricantem. Distat autem e Venetiis Pass. M. amplius CC. Orto Sole, non amplius est visus. Modo si tanto spacio, maris superficies, in medio tumida fuisset, vel